



## **Svmma Juris Canonici**

Comprehensa Tribus Partibus In Qva Distincte Et Svccincte Explicantur,  
quæ ad personas, negotia, & iudicia Ecclesiastica ex Canonum præscripto,  
pertinent

Sive Antinomia Ivris Pontificii Et Cæsarei - per CCL. Differentias plurium  
Doctorum auctoritate probatas, singulari studio in certas classes reducta,  
discussa, & explicata

**Strein, Johann**

**Coloniæ Agrippinæ, 1658**

XXIV. Differentia 9. Beneficia ecclesiastica secundùm Canones non dantur  
sub conditione, vel ad tempus,

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61864](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61864)

## XXIV.

## DIFFERENTIA 9.

*Beneficia ecclesiastica secundum Canones non dantur sub conditione, vel ad tempus, c. Pastoralis 7. q. 1. Sed iure civili secus videtur, quia beneficia ecclesiastica inter actus legitimos non connumerantur in l. Actus legitimi, ff. de Reg. Jur. Ioann. Bapt. à S. Blasio 190.*

**R**egula Juris in 6. quinquagesima est, sumpra ex 77. Pandectar. Actus legitimi conditionem non recipiunt, neque diem, id est, fieri non possunt ita, ut ex tempore non censeantur absoluti & perfecti, pendeantq; ex futuro tempore, & conditione. Anton. Part. 1. summ. tit. 20. c. 1. de Reg. Jur. Ejus generis est acceptilatio, hæredis institutio, adoptio, & alii nonnulli, quos Papinianus enumerat, exempli gratiã, non quòd alios excludat. Nam ut contractus omittam, actus legitimi sunt collatio beneficii ecclesiastici, ejusdem resignatio, exhereditatio liberorum, & similes. Quamobrem supervacanea videri potest Differentia hæc, licet enim beneficii ecclesiastici collatio explicite non numeretur à Papiniano, non consequitur tamen, actum legitimum non esse. Sufficiebat illi aliquos expressè poluisse, utroque igitur iure prohibetur sub conditione, vel ad tempus beneficia ecclesiastica conferre, iuxta leg. cit. & c. Pastoralis 7. q. 1. addita Gloss. *Quam pio* 1. q. 2. Sub conditione, dico, proprie accepta, seu de futuro, non autem præsentem, vel præterita Nam collatio beneficii facta sub conditione, si

vacat, valida censetur. Gloss. in c. 2. de elect. in 6. Bald. in l. pen. c. de sent. qua sine certa quant. Felin. in c. Cum contingat, de off. del. Item valet sub conditione, quæ ipso iure inest beneficio, si exprimat eodem modo, quo inest, ut si parochiale beneficium ordinarius conferat eã conditione, ut simile deponat. Abb. in c. de multa, de præb. quia conditio illa tacite inest novæ collationi. Selva de benef. Part. 2. q. 20. n. 2. Valet etiam conditio, *Si dignus, si aptus es, si requisita ad sunt, & simil.* Denique eadem aliarum conditionum ratio est, quæ beneficiis adhærent ex fundatione, institutione, aut consuetudine; ut si Episcopus beneficium conferat Antonio eã conditione, ut Theologiam doceat, pœnitentiarum munus obeat, conciones ad populum habeat, c. Significatum, de præb. Nam generaliter receptum est, expressionem eorum, quæ tacite insunt, non vitare collationem, nec inducere Simoniam. Felin. in c. Ad audientiam, de Rescr. Decius in Reg. 77. n. 8. Andr. del Vaulx l. 1. de benef. tit. 2. Bronchorst Centur.

4. assert. 88.

\* \*

Antinomia.

E

XXV. DIF.